


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-tertiâ mensis Decembris, Anno Domini M. DCC. LIII.

M. JOANNE-BAPTISTA BASSEVILLE, Doctore Medico, Præside.

An Choreæ S. Viti Evacuantia, Narcoticis & Cardiacis interpolata?

I.



VIX fœtus in utero, velut in tumulo clausus, aut carcere coercitus, per integrum graviditatis tempus, innumeris propemodùm abortûs necisque indesinenter expositus periculis; omnes quas prægnans & ipse patitur ægritudines. In ipsomet ortu, de vitâ, necdùm vivens, cum morte certat ac periclitatur; insalutatâ sæpè luce de tumulo in tumulum transit. Si fausto partu, tot, tantis, tàmque variis superstes discriminibus, ingreditur vitam; subitâ insolitâque aeris pressione perculsus, in ipsomet respirationis momento, vix vivens, plurimo cum planctu de vitâ queritur amarè;

multiſque vagitibus; miſerias & ærumnas præſagire videtur ac deplorare. Apertis nondùm ocellis, quam non videt lucem, refugere eum diceres ac deteſtari. A primis ortûs diebus uſquè ad pubertatem, infantiæ & pueritiæ luſtris in luctu, variiſque lactationis, torminum, dentitionis, lumbricorum & convulſionum ægritudinibus atque laboribus, in doloris veluti ſeminario exactis; majoribus, quæ progrediente ætate excipiuntur, reſervatur malis, eò gravioribus, quò mentis tunc compos factus, dolorem mortemque magis diſcernit ac reformidat. Quæcumque intrà vel extrà ſunt, elementa videlicet & alimenta, necnon medicamenta, ad vitæ tutelam, morborumvè medelam neceſſaria, hunc cruciant, torquent, & etiam ei dum juvant, nocent. Mens ipſa, nobilioraque vitæ organa, morborum neciſque cauſæ ſæpè fiunt ac primordia. Non enim viſcera tantùm præcipuaque corporis organa, ſed & omnes & ſingulæ partes, ne cuticulâ quidem, unguibus, tenuiſſimis fibrilis, ipſiſmet pilis poriſvè exceptis, ſingulares proprioſque habent morbos, alioſque aliis moleſtiores. Sui ſunt inſuper ſexui, ætati, conſtitutioni, conſuetudini, pro vitæ vel regiminis & exercitii varietate diverſi ſpecialeſque morbi. Nec parti uni unus, ſed multiplex morbus. Pluſquàm ſeptuaginta patitur oculus. (*a*) Sexcentorum morborum & ærumnarum, innumerarumque calamitatum cauſa uterus. Sunt & præterea vernales, æſtivi, autumnales, hyemales morbi, antiqui, novi, acuti, chronici, annui; innati alii, alii hæreditarii, benigni, maligni, contagioſi, peſtilentiales, lethales; ſunt & endemii, epidemici, ſporadici, ſtationarii, inſoliti, regulares alii, alii irregulares & anomali, intercurrentes, & per certas annorum periodos recurrentes, ab aliis & à ſemetipſis quotannis diſpares. Tot, tantorum, tàmque diverſorum morborum generationes & metaſtaſes, ſucceſſioneſvè quis enarrare vel dinumerare poſſet? Quid plura? à capite ad calcem, necnon ab ortu ad occaſum, totus, & omnis homo morbus. Novos prætereà una quæque ætas, ulterioribus ſæculis ignotos, & inauditos procreat morbos, quaſi omnes quotquot ſunt, fueruntvè ab origine mundi, complicati morbi, humani generis deſtructioni non ſufficerent. Sic ſe habet morbus ille quem *Chorea S. Viti* nomine appellarunt, cujus licèt, priſcis temporibus, innotuerit nomen; nemo antè *Sydenham*, adæquatam hujuſce affectûs tradidit hiſtoriam. Hunc perfectè delineavit (*b*) *Sydenham*, his verbis: » Pueritiæ convulſionis » eſt ſpecies, quæ pueros puellaſvè à decimo ætatis anno, ad pubertatem » uſquè invadit, primò ſe prodit claudicatione quâdam, vel potiùs inſtabilitate alterutrius cruris, quod æger poſt ſe trahit fatuorum more; poſteà » in manu ejuſdem lateris cernitur, quam hoc morbo affectus vel pectori, » vel alii alicui parti applicitam, nullo pacto poteſt continere in eodem » ſitu vel horæ momento, ſed in alium ſitum, aliumque locum convulſione quâdam diſtorquebitur, quidquid æger contrà nitatur. Si vas ali» quod potu repletum in manus porrigatur, antequàm illud ad os poſſit » adducere, mille geſticulationes, circulatorum more exhibebit; cùm » enim poculum rectâ lineâ ori admovere nequeat, deductâ à ſpaſmo ma» nu, huc illuc aliquandiù verſat, donec tandem fortè fortunâ illud labris » propiùs apponens, liquorem derepentè in os injicit, atque avidè haurit, » tanquàm miſellus id tantùm ageret, ut deditâ operâ ſpectantibus riſum » moveret. « Spaſmodici hujus affectûs deſcriptionem, à *Sydenhamo* mutuatam, ut accuratiſſimam eò lubentiùs admittimus, quòd medendi ſuffulta ſit methodo, adeò verâ & certâ, ut omnem adimpleat curationis paginam.

(*a*) Democr. epiſt. ad Hipp. de natu. hum.

(*b*) Schedul. monit. de novæ febr. ingr. p. 360. & proceſ. integr. de morb. omn. curand. de chor. S. Viti pag. 506.

I I.

HOMINIS vita in motu. Si regularis & ordinatus, ritè functiones edit, & benè se habet: irregularis autem si fuerit, vel inordinatus, miserè vivit: motu cessante perit homo. Motus alius involuntarius, voluntarius alius; à diversâ partium structurâ, absque vel pro voluntatis arbitrio sese moventium, pendet illorum discrimen. Licet cerebrum verè sit motûs omnis fons primus & origo, duos tamen principes partium motores, cerebrum nempè & cor agnoscimus cum *Baglivio*. (*a*) Immediatum & adæquatum motûs organum fibra. Tota illius vis seu potentia movens, in peculiari fibrillarum seu villorum eam constituentium artificio posita est; undè motus omnis à fibrarum elaterio pendet, cum assiduo fluidorum influxu & resistentiâ; id est ab æquilibrio solidorum & fluidorum. Duplicis autem generis fibra; membranea una seu nervea; muscularis alia seu carnea; quæ origine, structurâ & usu differunt. Hæc, innumeris propemodùm fibrillis seu fibrillarum stratis, quasi in fasciculos contractis, sibi mutuo & parallelo ordine unitis, & ab aliis parallelis transversim intersectis, contexta, abit in musculos, qui voluntarii & regularis motûs sunt instrumenta. Illa ex infinitis pariter, sed irregulari & inæquali ordine est conflata fibrillis, quæ medullæ & membranarum cerebri expansiones sunt & propagines, quæ cum nervis & per nervos, in universum corpus disseminatæ, omnibus & singulis partibus diversimodè distribuuntur, suntque involuntarii motûs organum. Voluntatis aut naturæ legibus inversus, alio quovis modo turbatus depravatusvè motus omnis, sub convulsionis nomine venit. Universalis alia, alia particularis; in oculis, labiis, linguâ, manu aliisque membris hæc; in febrium rigore, tremore, epilepsiâ observatur illa. In omnes & singulas corporis partes suam conjunctim, aut seorsim tyrannidem exercet convulsio. Pars nulla quæ spasmis aliquandò non tentetur & distorqueatur. Omnes & singulas spasmodicarum affectionum species, hîc recensere, nostri non est instituti. Specialiter agemus tantum de eâ, quæ *Choreæ* nomine insignitur. Morbus an symptoma sit hic affectus in scholis ambigitur, & inter Authores valdè & acriter controvertitur. Litem dirimentes, convulsionem modò habemus pro morbo, modò pro symptomate. Convulsionem distinguimus, in primariam seu essentialem & idiopathicam, aut in secundariam vel accidentalem & symptomaticam. Quæ per se & nullo præcedente morbo aggreditur, ut Epilepsia, morbus est primarius & essentialis: quæ verò alicui morbo aut vulneri supervenit convulsio, accidentalis est & symptomatica. *Choream* autem inter convulsiones annumerandam esse constat ex *Sydenhami* verbis, solâque symptomatum huic morbo essentialium inspectione, quibus à quolibet alio morbo convulsivo facillimè distinguitur. Idiopaticam quoquè convulsionem referre *Choream* cuique patebit attendenti, hanc, nullo prægresso acuto vel chronico morbo, pueros, quod rariùs, puellasque sæpissimè à decimo ætatis anno ad pubertatem usquè invadere. Hinc remedia quæ sanandis convulsionibus in genere conveniunt, huic morbo debellando, cæteris palmam facilè præripiunt.

(*a*) Cap. de orig. motûs solidor.

I I I.

PRIMARIAM hujus affectûs causam & originem scire si cupias, varios Artis Magistros consule. Suprà laudatus *Sydenham* qui, ut solet, *Cho-*

ræ ſymptomata delineavit adeò accuratè, ut ex ſolâ ægri inſpectione morbus apprimè dignoſcatur, de cauſis quidem, nihil, aut parùm reliquit, his verbis; (*a*) » cùm affectus iſte ab humore aliquo in nervos irruente, quorum » irritatione, iſtius modi motus præternaturalis pendere mihi videretur, » &c. « *Sennertus* (*b*) in delirantium claſſem reponit, rarum ſed admirandum affectum, quem, à perpetuo & inſano ſaltandi deſiderio, ſancti, cujus interceſſione juvantur ægri, nomine, *Choream* vel *ſaltum S. Viti* appellat. Simulatum à quibuſdam, alias à κακοδαίμωνι proficiſci credit, quamvis & poſſibile ſit hunc à naturali causâ provenire. Hunc quoquè morbum ad ἐνθουσιασμὸν (*c*) veterum referendum eſſe cenſet. Aliquid quandoquè divini ſuſpicatur, verùm ſæpiſſimè à cauſis naturalibus, & humore maligno provenit: qui verò hoc morbo laborant, dies noctesque ſaltant. Narrat *Felix Platerus*, (*d*) ſe *Baſileæ* vidiſſe fœminam cui Magiſtratus, viros aliquot robuſtos conſtituerant, qui, alternatim, uno feſſo, altero ſuccedente, cum eâ dies noctesque, per totum ferè menſem continuò tripudiarent: etſi ſoleæ pedum attritæ eſſent, & licet aliquandò, ut cibum caperet, & ſomno correpta, ſedere cogeretur, tamen geſtu motuque nihilominùs corpus veluti ſaltans agitabat. *Mathiolus* (*e*), inter *Choreâ* affectos, & à Tarentulâ demorſos aliquam inſtituit ſimilitudinem; *Choream* tamen à naturali causâ ortum habere poſſe ſcribit, ſub hâc verborum ſerie. » Cùm » ſatis conſtet, quàm diverſa ſymptomata, diverſa deliria, variaſque imaginationes, inducat atra bilis, pro diversâ, corporis, ipſiuſque ægri con» ſtitutione; alii quidem convulſionis ſpeciem hunc affectum eſſe volunt; » ſed reverâ hîc nulla adeſt convulſio, verùm ratiocinatione ac imagi» natione depravatâ in hunc inſanum & perverſum ſaltandi affectum fe» runtur, quo forſan aliquid etiam facit, humoris fervor corpus ſti» mulans & quaſi titillans. « In eandem ferè ſententiam deſcendit *Sennertus* (*f*); ex ipſo enim » ortum habet, procul dubio hoc malum, ab hu» more maligno, tarentulæ veneno ſimili; interdùm tamen etiàm in ipſo » corpore, tale venenum, tarentulæ veneno, cognatum, generari non eſt » impoſſibile « Hunc quoquè affectum, cum *Tarentiſmo* confundit *Wedelius* (*g*). Hujuſce membrorum inquietudinis, & œſtri cujuſdam ratio, videtur eſſe *Williſio* (*h*), quòd ſpiritus animales, quatenùs in toto nervoſo genere, à copulâ heterogeneâ incitati, efferi prorſus, ac effrænes evadunt. Nonnulla quoquè de eodem affectu delibavit *Cheyne*, (*i*) qui morbum hunc, ſingularem eſſe fateri coactus, de cauſis, nec apertiùs, nec ſolidiùs, quàm memorati ſuperiùs authores ratiocinatur. Hunc ex paralyſi, & convulſione conflatum affirmat, ſæpèque procedentem ab epilepſiâ, præſertim in juvenibus; terribilis alicujus aliquandò morbi prodromum eſſe contendit. Nec majorem affert lucem *Dumoulin* (*k*) *Sydenhami* plagiarius, qui de *Tarentulatorum* convulſionibus & per ſaltationem curatione differens, nonnulla de Choreâ confabulatur. Hanc à tarentulæ morſu oriri aſſerit, *Choreæ*que nomen, per analogiam ducit, à quibuſdam veris aut fictis mulierum convulſionibus. At ad ſingularem hanc convulſionis ſpeciem ſeriò attendas; caveque ne confundas cum *Tarentiſmo*, à quo toto cœlo diſtat, tùm ratione ſymptomatum, tùm ratione cauſæ: nullâ enim prægreſſâ ſenſibili læſione, vel venenoſâ puncturâ, ſenſim ſine ſenſu ſeſe prodit, in regionibus, ubi talis non inſidiatur aranea. Nec minùs diſpar, ab hyſtericarum mulierum ſpaſmis, motibus inordinatis ſeu ataxiis. Affectus iſti, ſive veri

(*a*) Loco citato.

(*b*) Lib. 2. part. 3. ſect. 11. cap. 31. de cauſ. ſympt. ſenſu. intern.

(*c*) Lib. 1. part. 11 cap. 17. de com. Vigil. & ſopo. gravi.

(*d*) Lib 1. obſervat.

(*e*) Lib. 2. comment. in Dioſcor. cap. 57.

(*f*) Loco citato.

(*g*) Georg. Voltg. Wedelius Exercit. Semeiotico - Patolog. cap. 9. de Chor. S. Viti & Tarentiſmo.

(*h*) Thomas Willis de mor. convul. cap. 7.

(*i*) *Traité de la maladie Angloiſe.*

(*k*) *Traité des Rheumatiſmes & Vapeurs.*

sint; sive fictitii, solis familiares sunt mulieribus & quidem adultis, quas omni tempore invadunt; præcipuè verò silentibus aut malè fluentibus menstruis. *Chorea* autem, pueros aliquandò, puellas sæpiùs, infrà pubertatem adoritur tantùm: neutiquàm in posterùm. Nihil molesti præter tripudiationem & membrorum instabilitatem experiuntur, hoc morbo laborantes. Non dolet caput, non ventriculus. Rectè functiones edunt, tùm vitales, tùm naturales. Ad mortem non terminatur *Chorea*, verùm nisi antè pubertatem sanetur, haud ampliùs, aut difficillimè tantùm deletur. Ad vitam perdurat, ægrotantesque ad mortem usquè comitatur impotentia seu membrorum instabilitas, sicuti jam in uno aut altero ægrotante observavimus. Huic veritati robur addit *Hippocratis* (*l*) testimonium. » Pueris, » inquit, plurimi morbi judicantur, ipsis ad pubertatem accedentibus: » qui verò pueris permanserint, neque circà pubertatem soluti fuerint, » aut fœminis cùm menstrua erumpunt, inveterascere consueverunt. « Hujus affectûs causam & ortum, sicut & plurium aliarum affectionum, apprimè cognoscere, quamvis sit difficilè; suspicamur, in primis viis ventriculo nempè & duodeno, cruditatibus, impuris, indigestisque succis scatentibus nidulari: quorum transmissione & appulsu in nervos, sensûs ac motûs pervertitur æqualitas, undè inordinato impulsu, læsâque, motûs & resistentiæ proportione debitâ, spasmodicum hunc oriri affectum asserere non dubitamus. Eo ducti quòd pueri, ut debilioris texturæ, ob dentitionem, lumbricos, aliaque id genus, convulsionibus facillimè corripiantur: gulæ insuper naturâ dediti, absque normâ & delectu comedunt. Puellæ, aliundè, quas sæpiùs invadit *Chorea*, humidioris sunt constitutionis, domi magis addictæ, vitam agunt ut plurimùm, otiosam, majorem propterea humorum copiam generant, undè innumeri oriuntur, quibus, antè catameniorum eruptionem, corripiuntur affectus, qui fluentibus quandoquè menstruis fugiunt, silentibus verò recrudescunt. Talis est *Chorea*, quæ nullas post mensium eruptionem corripit.

(*l*) Aph. 18, sect. 3.

I V.

ÆQUE impossibile est, *Choream* non agnoscere, atque in ejus curâ hallucinari. Non minùs evidens & certa prognosis. Rarus hic morbus, non multos observavit *Sydenham* (*a*). » Hoc morbo, inquit, haud » pauciores quinque laborantes, vidi & sanavi ipsemet, & venæsectionibus, » & purgationibus per intervalla celebratis. « Curandi methodus ab eo proposita, indicationes curativas adeò accuratè adimplet, ut, modò ritè & prudenter adhibeatur, inter phænomena reponendum sit quemquam ab hoc morbo, non convaluisse. Indicationes curativas, ut cum eo loquamur, eo dirigit, ut 1°. humores in nervos irruentes, tùm venæsectione, tùm purgatione minuantur; dein genus nervosum corroboretur; quod mirè præstat proposita methodus. Primò enim venæsectionibus, ter quatervè parcâ manu repetitis, sanguinis minuitur fervidior motus, laxiores mollioresque evadunt fibræ, purgationibus deindè lenissimis, alternis diebus, ad tres vices, post singulas venæsectiones, propinatis, ventriculi arcetur colluvies; quæ in nervos irruens suprà memorata suscitabat symptomata. Quamvis enim, genuinam hujus morbi causam agnoscat tantùm, humores in nervosum genus irruentes, suspicari tamen videtur, humores istos sedem

(*a*) Loco citato.

in ventriculo obtinere. Hujus aſſertionis veritatem abundè probant, multoties, ab expertiſſimo eodem viro, repetitæ purgationes. Ex ipſius inſuper verbis : (*b*) Haud deterrendus eſt Medicus à faciendis evacuationibus, ſi fortè membrorum ſubſultum, vel motum convulſivum in ægri corpore perſentiſcat. Quandòquidem in quibuſdam generis nervoſi affectibus, tàm venæſectio, quàm purgatio, etiam ſæpiùs repetitæ, non tantùm non nocent, ſed & neceſſariò ſunt adhibendæ. Secundò, narcoticis, concitata à purgantibus, ſanguinis compeſcitur efferveſcentia. Cardiacis deniquè firmatur ventriculus, & per conſenſum, nervi octavi paris, qui cum intercoſtalibus concurrentes ſpaſmodicum hunc procreant affectum. In eo cæteris antecellit *Sydenhami* methodus, quòd celeberrimorum in praxi Medicorum authoritate fulciatur. *Hippocrates* (*c*) Medicorum princeps, Doctiſſimuſque Hippocratis commentator *Galenus* (*d*), duplicem agnoſcunt tantùm convulſionum cauſam. Inter axiomata reponit *Hippocrates* (*e*) omnes quoſcumque morbos ex repletione, vacuatione curari. Convulſiones præſertim puerorum, ex repletione accidere, triplici rationum momento, demonſtrat *Horſtius.* (*f*) Evacuationes quoquè, imprimis menſtruales, morborum convulſivorum medicatrices eſſe, docuit hujus ſcholæ ſplendor *Duretus* (*g*); » menſtruorum proprium eſt, inquit, ſanare convulſionem : pue» rilis enim epilepſiæ finem adfert menſtruorum purgatio. Puerilis epilep» ſiæ ſanatio eſt in pubertate, cùm primùm virgo menſtrualis eſt, ac men» ſtrua illi benè reſpondent. Ratio autem ſanandi convulſionem, menſtruo» rum, in vacuatione conſiſtit humoris convulſivi, quo expediti nervi, » non ampliùs contrahuntur nobis invitis, nec cerebrum etiam, quod olim » ciebat epilepticam convulſionem, dùm ejus contractio, ſeipſum verſùs, » arripiebat ſuas ſpinalis medullæ, & indè nervorum propagines : ſed ea » contractio cerebri epileptica, quæ cadit in pueros, non eſt vaporis tetri, » aut qualitatis malignæ, ſicut in grandioribus eſſe ſolet : verùm humoris » craſſi & frigidi, proptereàque, hujus præſidia ſunt in vacuatione propriâ » humoris morbifici. « Poſt ampliſſimam *Choreæ* deſcriptionem : ſtupendi hujus affectûs cauſam & ortum pendere aſſerit *Horſtius* (*h*) ab aliquâ evacuatione ſuppreſsâ, cujus occaſione, vapores flatuoſi, in fibras muſculorum penetrantes, convulſionem excitant : primarias autem horum vaporum ſedes, ventriculum aſſignat & uterum. Ex *Baglivio* (*i*) omnes ferè infantium convulſiones, à ſtomacho fiunt, undè iis ſtatim morbum ſolvunt lenia purgantia, præſertim infuſum rhabarbari. *Hippocratis* (*k*) teſtimonio, » convulſionem, muliebria, ſi circà initia appareant, neque febris acceſſe» rit, ſolvunt. « *Hoffmannus* (*l*) ventriculum, inteſtinorumque canalem, ad excitandas convulſiones, primas ſibi vindicare deducit ex ipſius ventriculi & inteſtinorum ſtuctûrâ, ob præſentiam cruditatum, acidarum & viſcidarum, in duodeno potiſſimùm ſtabulantium, quæ concurſu, bilioſi & pancreatici ſucci, promptiſſimè acrem ac cauſticam ferè indolem acquirunt: His debellandis convulſionibus, eaſdem ac *Sydenham* ſibi proponit indicationes. Tanta aliundè fides erat *Sydenhamo* (*m*) convulſiones puerorum, ſolis evacuantibus curari poſſe, ut inter problemata annumeret : an puerorum dentientium convulſionibus medela afferri poſſit, abſque venæſectione; quam ſpecificis quibuſcumque vel decantatiſſimis, quæ hactenùs innotuêre, longè anteferendam eſſe contendit. Adeò certa inſuper ac efficax eſt *Sydenhami* methodus, ut, teſte experientiâ, modò à prudenti Medico habi-

(*b*) Loco citato.

(*c*) Aph. 39. ſect. 6.

(*d*) Lib. 2. de conſ. ſymp. & lib. de tremo. cap. 4. & 5.

(*e*) Aph. 22. ſect. 2.

(*f*) Gregorius Horſtius libr. 6. de morb. puer. queſt, 4.

(*g*) Lud. Duret. in coac. Hipp. tract. 3. de morb. mulie. nº. 23.

(*h*) Lib 2. de morb. capit ; obſerv. 45. in epiſt. Jacob Eckholdt ; ad Gregor. Horſt. de admi. convul. & motib.

(*i*) Lib. 1. prax. Medi. de dolor. in gener. convul. & motib. convul.

(*k*) Coac. prænot. ſect. 2.

(*l*) Frid Hoffmannus. ſect. 1. cap. 21. tom. 3. de motib. convul.

(*m*) Cap. 5. de morbil. anni 1670.

tâ ratione ætatis & virium ritè adhibeatur, abſque recidivæ metu eradicetur morbus, eâ tamen cautione, » ut pertundatur ægro vena, & ad dies » aliquot purgetur, eâ anni tempeſtate, vel paulò antè, quâ morbus invaſit «. Adeò brevis deniquè, ut ſi nullus admittatur error intrà menſis unius cancellos, priſtinæ ſanitati reſtituatur æger. Suprà memoratam methodum, ad convulſiones puerorum ſanandas, efficaciſſimam eſſe, adeò ſibi conſcius erat *Sydenham*, ut veriſimile illi videatur, hanc, quamvis non ſit expertus, epilepſiæ adultorum curationi, convenire poſſe: modò remedia, eorum ætati ritè adæquentur: ſanguinis, nempè, detrahendi quantitas, catharticorumque doſis adaugeantur.

V.

QUAMVIS ex ſuprà dictis conſtet, *Sydenhami* methodum, prudenter adminiſtratam, ad *Choream* tutò & citò ſanandam, cæteris palmam præripere: ut clariùs eluceſcat aſſertionis noſtræ veritas, ſufficit ut hujus methodi, ineatur comparatio, cum aliis quæ à diverſis authoribus, qui huic morbo medelam afferre conati ſunt, fuerunt uſurpatæ: quas inter, methodum à D. *Cheyne* (*a*) delineatam ſeligimus. Huic ſanando morbo tria ſibi propoſuit. 1°. Evacuationem, 2°. attenuationem, 3°. tandem fibrarum aſtrictionem, quibus ut faciat ſatis, vomitoria, aliaque draſtica remedia per longum tempus ſæpè iteranda præſcribit, ut ipſius verba declarant. » Primæ » indicationi ſatisfacturus, inquit, vomitorium miſcebam, ſivè ex vino emetico cum infuſione radicis ipecacuanhæ, ſivè ex tartaro ſtibiato, cum » ejuſdem radicis pulvere, quæ per longum tempus, eâdem ipſâ hebdomadis die iterabam, uſquè ad remiſſionem, quo tempore horum uſum minuebam. Secundæ, per menſis vel ſex hebdomadarum ſpatium, ſingulis diebus intermediis, æthiopis mineralis peramplam doſim porrigebam, quod » aquarum *Bath* ope præcipitabam. Tertiæ tandem, electuarium, ex cortice » aurantiorum, pulvere glandium & croco martis aſtringente confectum » præſcribebam, quo nervos intùs adſtringebam, ut autem idem extùs fieret, aliis diebus balnea frigida imperabam.« Hæc quidem methodus nullatenùs nobis admittenda videtur: vulgari enim axiomati Medico repugnat, *tutò citò* & *jucundè* inſtituendam eſſe curationem. Primò, non tuta eſt: hujus enim cardo vertitur in remediis draſticis, quæ tenellulas puerorum fibras, omiſſis præcipuè venæſectionibus, cæteriſque remediis diluentibus, dilacerare, mortemque, morborumvè iliadem morte pejorem accerſere valent. A talibus prætereà ſemper abſtinuerunt, omni ævo, melioris notæ Medici. » Si ætatis tenerrimæ, virium ſummæ imbecillitatis, habeatur ratio, inquit » *Harris*, (*b*) prudentis ſanè Medici erit, ab omnibus emeticis abſtinere, aut » etiam in totum abhorrere. Sanguinis verò modica detractio per venæſectionem vel hirudines, ſæpiſſimè ex uſu eſt, & maximè conducit; Medicina deindè leniter cathartica, tùm ventriculum tùm inteſtina, pravis humoribus repleta, liberat & exonerat.« D. *Wanſwiten* (*c*) ad ſanandas convulſiones, omnia laxantia & emollientia dicta proponit, aſſeritque antiquiores doctioreſque in praxi Medicos, *Hippocratem*, *Celſum*, *Galenum*, *Aræteum*, &c. unanimi conſenſu molliſſima remedia, ad convulſiones curandas commendaviſſe. *Hoffmanni* (*d*) teſtimonio, convulſionum curationem, non multis ac draſticis remediis perficere, ſed magis blandis ac naturæ congruis inſtituere convenit præſidiis quæ patientiâ, ac temporis

(*a*) Loco citato.

(*b*) De morb. acut. infan.

(*c*) In Boerh. Aph. de convul. n°. 234.

(*d*) Loco citato.

diuturnitate adjuta, omne curationis momentum abſolvere poſſunt. Et aliàs (e) imprudentiæ & temeritatis accuſat eos, qui in dentitionis difficultate, ubi ſpaſmi genus nervoſum vehementer torquent, purgantia acria, iterùm atque iterùm propinant, triſti eventu præpoſterum ejuſmodi conſilium ſatis confirmante. Secundò, non jucunda: prolixior enim eſt; pueriſque, idcircò, ſemper moroſis, & à quibuſlibet remediis naturâ abhorrentibus, minimè accommodata. Tertiò tandem, non cita; ipſius authoris teſtimonio; magnâ enim cum fiduciâ, valdè ſibi congratulatur, quòd, poſt tres, ad minùs menſes, in tot laboribus exhantlandis, tantâque, remediorum draſticorum, & nauſeabundorum farragine devorandâ impenſos, huncce morbum feliciter debellaverit. » Quoties, (f) inquit, *Choream* hac methodo curavi, mihi ſemper ex » animo ſucceſſit, ut poſſunt teſtari nonnulli adhuc viventes quos ſanavi, » (perpaucos autem ſanavit). Huic curæ, raro ultrà tres menſes inſudavi. « Alii omnes, qui de hoc morbo mentionem fecerunt, à recto tramite deviaverunt. Qui morbum hunc *Tarentiſmo* analogum cenſent, à ſaltationibus ſperandam eſſe medelam autumant. Qui epilepticum quid ineſſe ſuſpicantur, ad antiſpaſmodica & antiepileptica tantùm, tanquàm ad ſacram anchoram confugiunt. Verùm præter *Sydenham* nullus genuinam morbi hiſtoriam, nullus curandi methodum, ejuſce affectus cauſæ & ſymptomatibus eradicandis accommodatam tradidit. Teſte inſuper experientiâ; ex quindecim & ampliùs ægris hac methodo curatis, venæſectionibus, ſcilicet parcâ manu repetitis, catharticis, narcoticis & cardiacis ad *Sydenhami* mentem propinatis, omnes abſque recidivâ convaluére: undè concludere licet.

(e) Sect. 1. cap. 5. de conſenſu part. nervoſi gener.

(f) Loco citato.

Ergò Chorea S. Viti Evacuantia, Narcoticis & Cardiacis interpolata.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. *Ambroſius Hoſty, Legationis Anglicæ Medicus ordinarius.*	M. *Anna-Claudius Dorigny, Rei Herbariæ Profeſſor deſignatus.*	M. *Joannes-Damianus Chevalier, Regis Conſiliarius Medicus in Inſulâ Sancti Dominici.*
M. *Joannes Mac-Mahon, Noſocomii Regii Colmarienſis Medicus ordinarius.*	M. *Carolus-Auguſtinus Vandermonde.*	M. *Emanuel-Mauritius Duverney, Olim Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor in Horto Regio Pariſienſi.*
M. *Franciſcus Thiery.*	M. *Ludovicus-Joannes-Baptiſta Coſnier.*	M. *Ludovicus-Claudius Bourdelin, Antiquus Facultatis Decanus, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Berolinenſis Socius, & in Horto Regio Chymiæ Profeſſor.*

Proponebat Pariſiis HENRICUS-JACOBUS MACQUART, Remus, Doctor Medicus Remenſis., necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1753.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facult. Medicinæ Typographi, 1753.